



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Paternus Episcopus 16. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Post resurrectionem non animæ tantum, sed etiam beatorum corpora, ad cœlestem Hierusalem avolabunt; animæ verò & corpora damnatorum detrudentur ad inferos, ut igne devorante in æternum comburantur. Diligamus corporis oblectamenta: *sed illa diligamus, que sine fine habebimus; illa timeamus, que à reprobis sine fine tolerantur.*

S. PATERNUS Episcopus

16. Aprilis.

Liberati à peccato, servi autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Paul. ad Rom.

cap. 4.

Nobilis Aquitanus S. PATERNUS fuit, à primis annis ascetis sectatus, unde & mater vestem ei paraverat eremicolis usitam. Abstulit hanc in nidum suum rapax avis; at non abstulit tyroni religiosum animum, sicut & vestis in nido perennans illæsa demum reperta est. Vita PATERNO cum Scubilione quodam in solitudine, rigida in paupertate agebatur; cilicio cinctus, sine lecto, cibi parcissimus, assiduus in precibus gilabat

vigilabat, factus virgâ thaumaturgâ Moïſes
 in deſerto. Cùm enim rupem baculo percuſ-
 ſiſſet, fons illicò ſaliſt in rivum viventem.
 Quocunq̄ venerat, ægri momento ſanati
 ſunt, & ex obſeſſis dæmones fugère: umbræ
 ſcilicet ad ſolis ortum diſſipantur. Creſcen-
 tio cuidam ſubita cæcitate punito, ob ne-
 glectam pauperum curam, quam ei rex Chil-
 debertus demandârat, miſertus PATERNVS
 viſum reſtituit, monens ut diligentius dein-
 cept pauperum ſubſidijs invigilaret. Tandẽ
 jam ſeptuagenario, tres de cœlo viſi Sancti
 Præſules, ei animarum cuſtodiam commen-
 dantes, quam ſubiit à ſolitudinẽ ſua extra-
 ctus ultimis annis & infulâ coronatus. Con-
 junxit tamen eum iterum cum Scubilione
 cremi ſocio unus, eadẽ utriq̄ horâ obi-
 tus, ſed & unus, utriusq̄ corpus tumulus
 texit. Quidni eadẽ in cœlis eorundẽ a-
 nimas gloria exornat? *Ex Surio.*

MEDITATIO

Omniſ vita rivo ſimiliſ.

1. **F**ONS, quem S. Paternus precibus ſuis impetra-
 vit, eſt vitæ ſymbolum & imago mortis. Ab
 eo deſtuens rivus ad mare centrum ſuum properat.
 Chriſtiani à Deo exiſtiſtis, & ad Deum debetis redi-
 re, itaque in omnibus & ſingulis actionibus veſtris
 unum

unum Deum spectate, ad unum Deum tendite. An est aliquid, si à Deo discesseritis, quod dignum sit amore vestro? *Quid mihi est in cælo? aut quid à te volui super terram? David.*

2. Hic rivus nec saxis, nec spinis retardatur: non hæret, non quiescit in canalibus ex metallo; aut marmore factis; non in ripis, herbis virentibus, & amœnis floribus consistit: ad mare semper properat. Tu pariter à viâ, quæ ducit ad Deum, nec adversis, nec secundis rebus declines: ne te retineant illecebræ vitæ jucundioris: sperne mundi delicias: vince difficultates, quæ occurrunt in viâ virtutis.

3. Hic rivus semper inquietus est, & quæri dices, quòd à mari tantùm distet. I, quòd volueris, fruire omnibus voluptatibus hujus mundi, nunquam omnino contentus eris; solus Deus potest animum tuum satiare: quietam ac felicem vitam vives, si ex toto corde Deum, nec aliud quidpiam, nisi propter ipsum quæsieris & dilexeris; si secùs feceris, semper inquietus erit animus tuus. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum cor nostrum, donec requiescat in te. Aug.*

S. HELENVS Confess:

17. Aprilis.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Joan, 12.

Fugiendum est citò, quod nocet citò: Sappuit isto maturè HELENUS consilio, & è mundo